

quidem consanguinei, similiter autem uterini sunt, et his conveniens erit illud quod dudum et in matris, et in iis quæ ex nuptiali causa, aut aliter non acquirantur. sanctum est, hoc etiam in reliquis morientis rebus valere atque tractari. Hæc igitur lex in isto casu data sibi occasione, sicuti dictum est, posita sit. Et quia ex tribus matrimoniis hoc processit, novitas naturæ nihil prohibet, vel si quis proponat et in duobus solummodo matrimoniis alios quidem esse solum uterinos, alios autem consanguineos simul et uterinos, vel si quis extendi dicat matrimonia, et adhuc amplius tale aliquid fieri. Et sic in hujusmodi casibus ubi tales quidam introducuntur ordines fratrum lex habeat suam virtutem: et excludant duplici utentes jure eos qui uno solo uti possunt.

CAP. II.

Si vero non talis est casus, sed solummodo constituti sunt uterini aut consanguinei, et moriatur aliquis fratrum: hæc prioribus subjaceat legibus quæ eorum successiones disposerunt. Locum tamen hæc lex habeat non solum in hoc casu, qui questionem movit: sed etiam in iis, qui postea futuri sunt. Quocirca priora si aut judicis sententia, aut pacationum expedita sunt formis, habeant propriam decisionem, hujus legis iudicio non egentia.

EPILOGUS.

Tua igitur eminentia quæ placuerunt nobis, et per hanc sacram manifestata sunt legem, per literas proprias declarare cunctis et in perpetuum observare festinet. — Dat. 15 kal. Jun. Constantinop., imp. Dom. Just. Aug. anno 15, ARLONE V. C. COSS.

TIT. XIV.

DE ARMIS.

NOVELLA CONSTIT. LXXXV.

Imperator JUSTINIANUS AUGUSTUS Basilidi gloriosissimo magistro sacrorum officiorum.

PREFATIO.

Magnum Deum et Salvatorem nostrum Jesum Christum et ejus auxilium semper invocantes, studemus omnes subjectos nostros, quorum regimen credidit nobis Deus, illesos et sine calumnia custodire et inhibere bella, quæ per suam considerationem suscipientes adversus alterutros operantur dolores, duplex ex hoc contra se supplicium inferentes, tam quod sibi met inferant, quam quod ex legibus vesaniam eorum punientibus patiuntur.

CAP. I.

Volentes igitur hujusmodi mortibus homines liberare, prospeximus armifactorum opus nullum privatum operari, solos autem illos arma facere, qui in publicis deputati sunt armifactoris, aut qui dicuntur fabricensii: eos autem qui operantur arma, nulli vendere privato. Sed neque qui in numeris constituti sunt armifactores, quos etiam deputatos appellant qui de fisco annonas accipiunt, permittimus operari, aut alicui vendere arma: sed solum diligentiam habere armorum militum in numero constitutorum, in quibus militant. Si vero novum aliquid faciunt, hoc auferri ab eis, et in sacro nostro inferri armamento adiciendum ibi repositis publicis armis.

CAP. II.

Hoc autem observare volumus et eos, qui in ordinibus ballistariorum sunt, quos per diversas statuimus civitates, ordinantes eos et arma facere: sanctentes, ut et ipsi sola publica arma in armamentis publicis uniuscujusque civitatis recondita corrigant, atque renovent. Si qui vero unum aliquid armorum instruxerint, hoc similiter et ipsis inter publica arma præsentent, et nulli alteri penitus vendant.

CAP. III.

Hoc quoque custodiant, qui in ballistariis deputati sunt, periculo patrum civitatum, sub quibus et ipsos ballistarios statuimus, et publicorum armamentorum diligentiam atque custodiam constituimus: quatenus si qui visi fuerint aut deputati aut fabricensii vendentes arma, provideant per loca iudices eos supplicii subdere, insuper etiam arma

6. L. 1. l. ult. C. de legit. heredib.; l. ult. C. de bon. quæ lib.

ab iis qui ea comparant, sine pretio auferre, et publico vindicare. Hanc igitur gubernante nos Deo cogitationem, per præsentem sancimus legem, in nulla civitate aut provincia nostræ reipublicæ habere licentiam privatos aut alium quempiam arma facere aut vendere, aut quolibet mercari modo: sed solos eos qui inter fabricenses referuntur, hæc instruere, et deferre ad sacrum nostrum armamentum: et hoc a tua celsitudine, et qui post te susceperint cingulum custodiri sancimus: deputantibus nobis aliquos chartulariorum, qui sub tua celsitudine in scrinio sunt constituti fabricensium, periculo quinque inter eos priorum bonam opinionem habentes, et opportunos, qui et eos qui in hac felicissima civitate, et in aliis civitatibus nostræ reipublicæ arma faciunt, requirentes, prohibeant privatos, aut etiam alios quosdam citra eos qui deputati sunt inter fabricenses, armifactorum agere, causam: et in quibuscunque compererint locis aliquos privatos hoc audentes, hæc auferre, et fisci applicare armamento. Si autem inter operarios privatos artifices opportunos invenire poterint: hos, si voluerint, in militis statuere, et in descriptione nomina eorum facere, et destinare nobis descriptionem artificum: ut per sacrum nostrum rescriptum in illis statuatur locis, in quibus sunt publicæ fabricæ, quatenus ipsi operantes arma, et de fisco annonas accipiant: hoc enim facto et subtiliter observato a prædictis personis, licentia penitus nulli dabitur, neque civitates inhabitantibus privatis, neque villas incolentibus rusticis, armis uti adversus alterutros, necesseque præsumere, et ex hoc plurimos homines occidi, publicas vero perire functiones, dum terræ cultores vitam amittere metuentes, fuga propter timorem utuntur. — § 1. Oportet ergo eos qui diriguntur a tua celsitudine ex memorato fabricensium scrinio ad prohibendos privatos armorum factores confessionem accipere etiam per loca iudicum, et subjectorum eis officiorum, et civitatum defensores, et patres, quia nihil valebunt de cætero horum quæ a nobis prohibita sunt aliquid agere sed quæ per præsentem sancita sunt legem, custodient, penam et in pecuniis, et in ipsum formidantes caput. Sancimus enim magnæ quidem Alexandriae iudicem negligentem quæ a nobis sancita sunt viginti auri librarum exsolvere penam, et cingulo cadere: et hujus officium similiter auri librarum viginti dare penam, et capitale subire supplicium: aliarum vero provinciarum iudices, damnum quidem decem librarum auri sustinere, similiter autem et ipsos casu cinguli subjacere, et eorum officia. Defensores autem, et patres civitatum trium librarum auri mulari pena, et in capite sustinere periculum, si quod tale factum comperientes non punierint, aut hoc agere valentibus non nuntient, sed latere permiserint.

CAP. IV.

Ut autem palam fiant quæ a nobis prohibita sunt a privatis, et aliis quibusdam, citra eos qui in sacris nostris fabricensibus referuntur, fieri, aut privatis vendi arma: et hoc per præsentem legem significare curavimus. Prohibemus enim privatos operari et emere arcus, et sagittas, et spatias, et enses, quæ vocare consueverunt semispalthia, et quæ vocantur zabæ, sive lorice, et contos, et quolibet modo vel figura factas lanceas, et quæ apud Isauros nominantur monocopia, et appellatos sitinos, seu missilia insuper et aspidas, sive scuta, et galeas, seu cassides: non enim ista alii cuidam instruere sinimus, præter eos qui deputati sunt in sacris nostris fabricensibus; solos autem fieri et vendi a privatis, et privatis vendi permittimus cultellos minores, quibus nullus in præliis utitur. Præsentem igitur legem generalem tua celsitudo in hac proponat regia civitate, nec non et per alias civitates nostræ reipublicæ ut omnes agnoscentes quæ placuerunt nobis, hæc observent.

CAP. V.

Denunciamus autem futuris præesse hujusmodi custodiæ chartulariis ex memorato fabricensium scrinio, quia ex negligentia non solum pecuniarias sustinebunt pœnas, sed etiam in corpore supplicia patientur, et militia cadent; insuper nec ipsum ulterius permitti a nobis scrinium in hujusmodi adesse sollicitudine, sed aliis committi fabricensium curam.

EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, et per hanc legem declarata sunt, tua celsitudo, et qui post te in cingulo fuerint, operi terminoque contradere festinent: indignationem nostram et ipsi metuentes, nisi rem sic utilem reipublicæ custodierint.

Tit. XIV. — 1. Fac. Lib. 11, C. tit. 9. — 2. Adde L. 2, C. quæ res exportari.

TIT. XV.

UT DIFFERENTES JUDICES AUDIRE INTERPELLANTIUM ALLEGATIONES, COGANTUR AB EPISCOPIS HOC AGERE: ET UT QUANDO IN SUSPICIONEM HABUERINT JUDICEM, PARITER AUDIAT CAUSAM ET CIVITATIS EPISCOPUS: ET DE CAUTE LA ALIA QUAM OMNINO OPORTET EPISCOPUM AGERE.

NOVELLA CONSTIT. LXXXVI.

Imperatoris JUSTINIANI AUGUSTI edictum.

PREFATIO.

Ex quo nos Deus Romanorum præpositus imperio omne habemus studium universa agere ad utilitatem subjectorum commissæ nobis a Deo reipublicæ, et illa facere quæ omni difficultate et læsione atque contritione privent: ne occasione litium, et aliorum quorundam discedere cogantur a propria patria, et in peregrinis affligi.

CAP. I.

Propterea igitur et in præsentem prospeximus præsens edictum ad omnes dirigere subjectos, et palam facere omnium civitatum et vicorum habitatoribus, quatenus si quis habuerit contentionem adversus alium, sive de pecuniaria causa, sive de sublatione rerum mobilium et immobilium, seseque moventium, sive de criminalibus, prius interpellat clarissimum provinciam iudicem, et ut ipse secundum nostras leges examinet ea, quæ proponuntur, et unicuique iustitiam servet. Si vero dum aliquis adierit iudicem provinciam, non meruerit iustitiam, tunc jubemus eum adire suum sanctissimum episcopum, et ipsum mittere ad clarissimum provinciam iudicem, aut per se venire ad eum, et præparare eum ut omnibus modis audiat interpellantem, et liberet eum cum omni iustitia secundum nostras leges, ut non cogatur peregre de sua patria proficisci: si vero etiam sanctissimo archiepiscopo compellente iudicem cum iustitia determinare interpellantem causas, iudex differat discernere negotium, et non servet litigantibus iustitiam: jubemus sanctissimum civitatis illius episcopum dare ad nos literas ei qui non meruerit quod justum est, insinuantes quia coactus ab eo iudex distulit audire interpellantem, et iudicare inter eum et qui ab eo conventus est: ut hoc cognoscentes nos supplicia inferamus iudici provinciam, qui interpellatus ab eo qui iniustitiam passus est, et coactus a sanctissimo archiepiscopo, non iudicaverit quæ in dubitationem venerunt.

CAP. II.

Si vero contigerit quandam nostrorum subjectorum in dubitationem habere iudicem, jubemus sanctissimum archiepiscopum audire cum clarissimo iudice: ut ambo per amicabilem conventum dissolvantur quæ dubia sunt: ut aut per annotationem scriptis factam, aut cognitionaliter iudicetur inter litigantes, et forma detur iustitiæ legibusque conveniens: ut non cogantur nostri subjecti propter hujusmodi causas recedere a propria patria.

CAP. III.

Si quis vero existimans habere se adversus aliquem quamlibet actionem, neque clarissimum provinciam iudicem interpellat, neque sanctissimum civitatis episcopum adeat, et ita veniat huc absque literis Deo amabilis episcopi civitatis: sciat quoniam et ipse tales sustinebit pœnas, quales futurus esset sustinere iudex, si interpellatus ab eo non studisset ei servare iustitiam. Hæc autem omnia sancire perspeximus propter utilitatem eorum qui habitant per civitates et vicos: ne privati propriis provinciis, et ipsi in peregrinis affligantur, et res eorum lædantur. Propterea enim iudices gratis facimus, et iurjurandum eos jubemus subire, ut unicuique interpellanti iustitiam servent secundum nostras leges.

CAP. IV.

Si tamen contigerit quandam nostrorum subjectorum ab ipso clarissimo provinciam iudice lædi, jubemus eum adire sanctissimum illius civitatis episcopum: et ipsum iudicare inter clarissimum illius provinciam iudicem, et eum qui putatur lædi ab eo. Et si quidem contigerit iudicem legitime et iuste iudicari a sanctissimo episcopo: satisfacere eum omnibus modis ei qui interpellavit adversus eum. Si vero refutaverit iudex hoc agere, et pervenerit ad nos ipsa lis: si quidem invenerimus quia iuste et

Tit. XV. — 1. Authent. Si vero, C. de iudicib.; 2. c. 6, in fin. infr. hic. — 3. Adde L. 4, C. ad leg. Jul. repetund.; 4. Fac. L. 21, D. de pœnis — 5. c. 2, in fin. supr. hic. — 6. N. 6, c. 5.

secundum leges aditus a sanctissimo episcopo, ea quæ condemnatus est, non fecit: novissimis eum supplicii subdi præcipimus: quoniam qui debet vindicare oppressum ipsum opprimere reperitur.

CAP. V.

Sed etiam subjectum ei officium jubemus cum omni studio et ministrantes clarissimis iudicibus interpellantes absolvere, nihil accipientes præter illa quæ nostris constituta sunt legibus. Si vero hæc non custodiant, subdi jubemus supplicii.

CAP. VI.

Si tamen invenerimus quandam sanctissimorum episcoporum pro gratia cujuscumque prodere iustitiam, regularem ei castigationem inferri jubemus: ut studeant cum timore Dei iuste iudicare: ne non impetrantes iustitiam, cogantur homines relinquere proprias civitates atque provincias, et in loca quælibet alia iniqua concurrere.

CAP. VII.

In civitatibus autem in quibus non sunt iudices, jubemus eos qui habent causas, adire defensorem, et ipsum discernere inter eos. Si vero litem habentes voluerint defensorem una cum sanctissimo episcopo iudicare, et hoc agi præcipimus.

CAP. VIII.

Neque autem monachum, neque clericum, neque episcopum jubemus venire huc absque literis sanctissimi sui patriarchæ. Si vero hoc fecerint, sciant quia semetipsos schemate faciunt indignos.

CAP. IX.

Si quis autem magisterianus, aut præfectianus, aut cujuscumque fortunæ existens acceperit amplius sportularum quam definitum est sacris nostris constitutionibus: jubemus omnibus modis iudicem provinciam periculo proprio secundum nostram legem hoc vindicare, et vindictam inferre hoc præsumptibus. Si vero non vindicaverit hoc ipse iudex, licentiam damus sanctissimo uniuscujusque civitatis episcopo nunciare nobis quæ de eis aguntur, et qualem habet militiam, aut dignitatem, qui hoc præsumpsit: ut et iudici periculum inferamus permittenti et desipienti nostram iussionem, et ipsum quoque iuleamus puniri talia præsumentem.

TIT. XVI.

DE MORTIS CAUSA DONATIONE CURIALIUM.

NOVELLA CONSTIT. LXXXVII.

Antonio Contio interprete.

PREFATIO.

Curialium fraudes nihil posse ferre damni reipublicæ, sed resistere legem talibus curiis [vel consiliis] omni volumus modo. Cognovimus enim quemadmodum, postquam interdiximus curialibus donationum modum, non concedentes ipsis possessionem immobilem donare, neque in testamento relinquere ultra tres uncias, sed dodrantem omni modo curiæ servare, illi calumniantes legem, excogitaverunt tales aliquas fraudes contra ipsam legem. Sciens enim quod nos inventientes vetustos legumtores, dubitantes de mortis causa donationem utrum donatio an legatum sit, et illos quidem connumerantes ipsam donationi, quosdam vero legatis, ea quæ pluribus et optimis legislatoribus visa sunt eligentes, legatum ipsam esse omnimodo decidimus, nec confectione monumentorum egere, sed licentiam habere facere ipsam et inserere ipsi etiam certos fines quos donator voluerit; et si hoc fecerit, licentiam habere renunciare etiam huic ipsi facultati, qua possit ponere super talibus donationibus, revocare, et quos utique voluerit terminos inserere mortis causa donationibus, sicuti Julianus sapientissimus constituit, quod quidem nos in trigesimo nono nostrorum Digestorum scripsimus. Omnia enim comprehendimus in brevi et quæ vetustis et quæ nobis placita sunt. Hoc igitur scientes putaverunt oportere secundum modum hunc facere quasdam mortis causa donationes et inserere pacta secundum legem ad auferendum potestatem sibi ipsi super donatione penitenti, eam revocandi. Alium vero terminum ipsis placenter addere ipsis donationibus, ut inde ipsis nimirum liceat facere donationes a revocatione liberas, et ita suas minuere substantias.

Tit. XVI. — 1. N. 38, in pr. 2. — 2. d. N. 38, c. 1 et seqq. — 3. L. ult. C. de donat. lib. causa mort. — 4. d. l. ult. — 5. Tit. 6, l. 16, l. 17, l. 18.

CAP. I.

Etsi autem ex his quæ jam lege sancimus adempta est omnis illis occasio plus dodrante relinquere queundi, vel in testamento relinquendi, vel per donationis modum alienandi, tamen ut adhuc etiam magis ipsorum fraudem compescamus, idcirco et nunc sancimus nemini curiali neque per mortis causa donationem licere donare quid, præterquam tantummodo per antenuptialis donationis modum pro seipsis aut propriis liberis factæ aut per dotis occasionem, quatenus ipsa nostra constitutio dicit, etiam filiabus donare nubentibus: siquidem aliter ipsos non posse donare certum est res immobiles, sed ipsas manere semper apud ipsos curialibus obnoxias functionibus, sola ipsis venditione concessa, et ipsa secundum Novellæ nostræ constitutionis observationem. Mortis causa donationibus suam vim habentibus, et valentibus cæteris hominibus, exceptis curialibus facere dictas mortis causa donationes in quascunque voluerint personas, et conditiones ipsis imponere, et renuntiare (siquidem hoc voluerint) penitenti concessæ circa pactionis revocationem: manere quippe oportet rem etiam sic in mortis causa donationis conditionibus, (hoc enim insuper sancimus) et tales donationes firmas esse et stabiles, quod quidem non nunc primum lege statutum, sed jam lege statutum, et nunc per nostram interpretatur et corroboramus vocem in omnibus aliis personis, præter solos, ut dictum est, curiales: idque propter ipsam nostram erga rempublicam curam et studium.

EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, et hac lege manifestata sunt, tua gloria custodire studeto, in primis utilitati reipublicæ providentiam impertiens.

TIT. XVII.

DE DEPOSITO, ET DENUNCIATIONIBUS INQUILINORUM, ET DE SUSPENDENDA ADMINISTRATIONE PANUM

NOVELLA CONSTIT. LXXXVIII.

Imperator JUSTIN. AVG. Joanni gloriosiss. sacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario et patricio.

PREFATIO.

Litem nuper audientibus nobis (hoc quod in imperio publice sedentes multotiens agimus) orta est aliqua questio, quam resolvimus statim: hujusmodi vero discentes contingere multa communi et generali lege definire hoc justum esse arbitrati sumus.

CAP. I.

Si enim quis ab aliquo capiat aurum aut res aliquas depositi causa in quibusdam conditionibus, deinde illi agant: necessitatem habeat omne restituere aurum, aut res, conditionibus semel impletis: et nulla omnino licentia sit aliquibus extrinsecus interdictionibus uti, et retinere depositi restitutionem: cum et alia multa privilegia tam a præcedentibus legislatoribus, quam a nobis ipsa data sunt: licentia enim est prohibenti redditionem, eum quidem, cui creditum est depositum, non molestare: eum vero de rebus quæ in questione sunt, qui aurum, aut res aliquas accepturus est, litem sortiri, et justitiam et legem promereri: sed ne per hanc causam damnis magnis subiciat eum qui interdictionem suscepit, et compellatur aut defensiones expetere, aut res habere, et non possit voluntarie cum deponente benigne agere: quod si tale aliquid egerit (omnino enim oportet non sola delictorum nos contentos esse prohibitione: sed etiam timorem inferre justum transgressoribus) sive perditionem contigerit rerum aut pecuniarum fieri, et hoc probetur, sive alium quemcumque casum fortuitum ipsum respicere qui contestationem dixerit. Insuper etiam ex quo facta est hujusmodi contestatio, usuras pecuniarum usque ad tertiam centesimam agnoscere prohibentem accipere propria: non solum si aurum fuerit quod depositum est, restitui vero prohibitum: sed et si aliæ res sint: ut hoc timore stultorum simul, et perversorum maligne versandi, in depositionibus homines censem.

CAP. II. De his qui denunciant ne civiles annonæ, vel pensiones solvantur.

Sed et totum hoc quod de mandatis est, et aspicere, et constituere secundum legem providimus. Videmus enim frequentari hoc in regia hac præcipue civitate, et aliquos interdicentes eis qui ministrant publicas

TIT. XVII. — 1. Authent. Sed jam cautum, C. depositi. — 2. Fac. L. ult. § 1, in fin. C. de comp. usat. — 1. L. 11, in pr. C. depositi; L. 14, § 1, C. de non numer. pecun.; L. 7, § 1, D.

annonas, et tesseras accipiunt ab annonarum præfecto, volentes suspendi administrationem: et eos qui ex hoc solummodo forsitan nutriuntur, defraudari administratione, per quam eis omnis tributur avita occasio. Huic autem rei severius et difficilior illud est: multis enim domos possidentibus in hac felicissima civitate, qui imbanchiti non videntur, mox futuris pensiones ab inquilinis accipere, calumniantur per interdictiones inquilinis dirigentes, ut non inferant eis. Illi vero ultra eas suscipientes, quidam propter inopiam forsitan comedunt eas: quidam vero et exules a magna hac fiunt civitate, et decidit omnino pensionum administratio iis qui ex hoc forsitan solo nutriuntur, secundum quod occurrentes in civilibus annonis diximus. — § 1. Nemini igitur damus hujusmodi licentiam: sed unusquisque si aliquam habeat causam ad obnoxium sibi, non obdormiat: in liberalibus autem perversitate omni plenius aspiret interdictionibus. Cognoscat enim, quia si tale aliquid egerit, et per occasionem ejus ceciderit aut administratio panum, aut pensionum datio ex hoc accidens ipse sustinebit periculum, mox quod interdictionem inquilinis et ministrantibus panem miserit, aut suspenderit annonam: nihil enim horum agi omnino volumus: sed ex quo interdictiones egerit, sancimus eum omne damnum sarcire domino rerum: super hoc et usuram et tertiam centesimam agnoscere pecuniarum, aut rerum quas non accipere per eum is qui secundum hunc modum læsus est, valuit. Et neque aliquis opponat defensiones, quia qui præsens est ei exactionis domino danti defensionem aut in deposito, aut in aliis recipere rem propriam, non enim omnibus est facile fidejussorem præbere nostris legibus, nullam defensionem omnino ratam esse ponentibus, nisi cum fidejussione fiat, fidejussorem enim omnino dandum idoneum non facile neque possibile passim est. Et propterea igitur ad securitatem nostrorum subjectorum volumus hoc custodiri a modo, et de cætero omni tempore, ut immortale sit hujus nostræ sanctionis juvamen reipublicæ, quæ judicantibus quidem nobis in mentem venit, præsentem vero legem commune juvamen nostris peperit subjectis.

EPILOGUS.

Toa igitur eminentia, quæ placuerunt nobis, et per hanc divinam manifesta sunt legem, operi effectuique tradere, et in perpetuum observare festinet.

COLLATIO SEPTIMA.

TIT. I.

QUIBUS MODIS NATURALES EFFICIUNTUR SUI, ET DE EORUM EX TESTAMENTO SIVE AB INTESTATO SUCCESSIONE.

NOVELLA CONSTIT. LXXXIX.

Imperator JUSTINIANUS AUGUSTUS Joanni gloriosiss. per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli ordinario, et patricio.

PREFATIO.

Naturalium nomen romanæ legislationi dudum non erat in studium, nec qualibet circa hoc fuerat humanitas, sed tanquam alienigenum aliquid et omnino alienum a republica putabatur: a Constantini vero piæ memoriæ temporibus in constitutionum scriptum est libris. Deinde paulatim in mediocritatem elementemque sententiam imperatores transeuntes, leges posuerunt: alii quidem et dari et relinquere aliquid eis a patribus concedentes: alii autem etiam adinvenientes modum per quem naturali jure priore liberati legitimi fierent, et paternæ substantiæ successores: paulatimque etiam ad nepotes processerant hujusmodi legislationes: et quoniam in nostra tempora venerunt, et eorum qui paulo ante nos fuerunt, multam varietatem causa suscepit. Nos enim duplex habuimus studium, et plurimos in libertatem perducere homines ex priore servitute, et ex naturalibus ad legitimos elevare: non enim ultio et interdictio despicienda est: sed quod est in necessitate, curandum est: et diffugiendum, quidem quod malum est, inveniendum vero undique quod melius est. Quia igitur aliqua quidem in constitutionum codice, quem ex omni priorum imperatorum legislatione collegimus, de natura-

depositi. — 3. Fac. L. 55, § 1, C. de episcopis.

TIT. I. — 1. N. 74. — 2. L. 1, C. de naturalib. liber. — 3. d. tit. de natural. liber.

libus scripta sunt filiis: quædam vero in libro Institutionum: de his autem nos constituimus, aut jam perfecta comperimus, et nos ipsi plurimas fecimus de his constitutiones, alias quidem in prædictarum collectione constitutionum, alias autem etiam postea: ne causa sit dispersa, bene se habere credidimus, in una constitutione totum colligere, quæ pro omnibus sufficiat ea quæ de naturalibus sunt, corrigere atque sancire.

CAP. I. De liberis naturalibus.

Palam namque est, quia hominum alii quidem liberi simul consistunt, et inter legitimos sunt: alii vero hoc prius non habentes, postea fiunt, et ex servis ad liberos ascendunt, et ex naturalibus ad legitimos. Alii vero ex ipso hoc naturales sunt, et quædam eis successionem existunt: alios autem neque naturales esse decet, sed etiam hoc monstrantur indigni. Oportet igitur nos ita facere constitutionem, ut nullus ignoret quæ possunt in naturalibus valere: dicimus autem inchoantes legem, qui consistunt naturales, quibusque modis procedunt ad legitimos, (quorum plurimos invenimus nos) et quæ sunt horum successiones, et quomodo quidem veteritas usa est his amare, quomodo nos humane. Nec illud quoque relinquatur, qui nec naturalium digni sint, sicuti diximus appellatione. Natura siquidem ab initio, dum de filiorum procreatione sanciret, scriptis nondum positus legibus omnes similiter quidem liberos, similiter autem produxit ingenuos. Primis namque parentibus primi filii, similiter quidem liberi, similiter autem legitimi a creatura fiabant: bella vero et lites, atque libidines et concupiscentiæ causam deposuerunt ad aliud schemata. Servitutum namque invenit bellum: naturales autem castitatis casus: lex autem rursus hujusmodi delicta curans libertatem servis molita est, et multum de his tractavit, modos introducens dena millia, imperatoria vero constitutiones aperuerunt eis quæ non recte facta sunt, ad jus legitimum vias quod non transitorie neque nos sancimus, neque subjectos hanc legem negligenter audire præcipimus. — § 1. Legitimi siquidem successores procedunt hominibus ex nuptiis, quas contrahunt aut cum dotibus instrumentis, aut etiam absque eis, sic ac fœminas masculis convenientibus, ut ab initio habeant ad eas legitimarum nuptiarum affectum. Et hoc enim in calumnia positum nos respicientes, lege decrevimus, quid in iis quidem, qui fortunæ dignitate proceci sunt, quid autem in mediocri hominum statu agendum sit ad demonstrationem legitimarum nuptiarum: quid vero deinceps permittam est plebi. Quapropter nuptiis procedentibus, ex hoc ipso sunt successiones certæ: et si inter legitimos connumerentur, mox lex introductis successionum modos, plurimum de his tractans. Legitimum igitur jus sic se habet. Quod vero non est hujusmodi, sed liberum quidem, non tamen ex nuptiis procedens legitimum, aut etiam in servitute natum: si libertatem quidem meruerit, manserit autem naturale: hoc modi varii ad jus legitimum ferunt, quos enumerantes, sic etiam reliqua sancimus.

CAP. II. De primo (hæc est per oblationem curiæ) modo legitimæ.

Primus itaque modus est legitimæ juris existens civitatibus mox utilis, quem Theodosius piæ et novæ introduxit memoriæ. Sancitum namque est ab eo, ut possit naturales filios, aut omnes, aut aliquos offerre curiis, aut filiabus curialibus copulare: et quoniam modus iste non simplicem habuit legislationem, sed varie et de oblationibus dictum est, et de successione, quomodo ipsi, et quorum heredes existant, et qui rursus ad jus eorum hereditarium accedant: justum credimus hoc primum legislationis disponentes capitulum, ita ad reliquos modos qui ad legitimum jus ferunt, accedere: quæ enim inde sunt facile omnino est dicere. — § 1. Si quis igitur fuerit naturalium filiorum pater, sive curialis existens, sive liber a curia, licentiam habeat, omnes, aut quosdam ex eis, sive legitimum sit filiorum pater, sive etiam non sed solummodo naturalium, offerre curiæ, licet forte illustris dignitatis sint filii suscepti: nisi tamen dignitas intercesserit talis, quæ homines, licet curiales sint, ab hac fortuna liberos facit. Oblationis autem modus sive fiat a patre adhuc superstite, cum quispiam in commune filium offerret, (hoc namque gestum est in Philocalo naturali filio, curiali a patre in Bostrenorum civitate) et hoc ipsum dicit secundum inspectionem ibi factam, et ita eum offert, sicut a Leone piæ memoriæ scripta dicit constitutio: sive ergo secundum hunc modum fiat aliquis a patre pronuntiatus naturalis, sive cum pater sub gestis monumentorum offerat, sive moriens in testamento conscribat oportere fieri curialem: deinde ille amplectatur scripturam: legitimus mox fiet, naturalium jure omnino liberatus: sive etiam mortuo patre semetipsum filius aut filii offerant: non existente

4. Fac. L. ult. C. de confirm. tut. — L. ult. C. quando mulier tut. offic. surgi. — 5. Adde L. 4, in fin. D. de just. et iure. — 6. e. g. infr. hic N. 74, c. 1. — 7. L. 5, D. de just. et iure: L. 4, L. 5, D. de statu hominum. — 8. N. 74, c. 4, c. 5. — 9. L. 3, C. de naturalib. liber. — 10. § 1, infr. hic. — 11. In pr. sur. — 2. ult. Inst. de nuptiis; L. 3, L. 4, C. de natural. liber. —

quidem legitima sobole, etiam sic erunt legitimi et curiales. Proinde pater quidem etiam existens legitimis offert curiæ non legitimis filios: qui vero per semetipsum ad hoc procedit, tunc solummodo auditur, cum nullus legitimorum filiorum existit. Hoc itaque de oblationibus sit, quod indifferenter sancitum est a nobis, in hac præsentem lege reconditum: non autem simpliciter neque fortunæ oblatione: oportet enim et modos facere manifestos secundum quos offerantur. — § 2. Si quis igitur ex qualibet oriatur civitate, sive curialis, sive etiam liber hujusmodi sit fortuna: licebit ei suum naturalem offerre filium curiæ illius unde oritur civitatis. Si vero nec civis ipse consistat, sed ex villa quadam aut vico sit oriundus: illi a patre offeratur civitati, aut semetipsum offerat, sub qua civitate villa aut vicus tributa persolvit. Palam vero est, quia siquidem pater eum, aut avus offerat, aut aliquis ascendendum parentum, et liberos habens filios: hoc agere poterit: si vero ipse quispiam semetipsum offerat, hoc permittimus, cum non alii legitimi sunt fratres. — § 3. Si tamen aliquis offerre volentium suos naturales curiis, aut ex maxima hac oriatur civitate, aut ex seniore Roma, huic damus licentiam, in quam voluerit metropolim oblationem celebrare: et hanc esse regulam etiam in filiabus, ut jungat eas curialibus aut ex civitate ipsa ex qua orti sunt, aut sub qua villa aut vicus tributa persolvit, ut si quis liber simul et Romanus, aut Byzantius fuerit, cuicumque curialium alterius eujuspiam, metropolis tamen. Sic itaque nobis curialium diligentia est, et iste modus placet juris legitimi, quia damus curialium naturalium existenti solummodo filiorum patri, licet ex ancilla eos habeat, et liberos facere, et offerre curiæ secundum quod prædictum est. Et adhuc amplius sancimus de causa, ut vel si non pater offerat, liber autem semel filius fiat: possit et semetipsum offerre curiæ, etiam hic legitima non existente prole.

CAP. III. De successione curialium.

Et quoniam varie etiam de hujusmodi personarum successione sancitum est: non videtur absurdum nobis et de successione, sicut prædiximus, terminare. Si quis igitur naturalis secundum hoc schema (id est oblationis) fiat curialis: erit patri et ab intestato successor et ex voluntate: nihil dissimilis legitimis, et ex donatione percipere poterit patris: ita tamen, ut non amplius habeat uno horum qui ab initio legitimi sunt, et inter omnes minus habente. Cum semel autem illi susceperint oblationem, et propterea ad jus legitimorum ascenderint: non sinimus eos abstinere se patrum hereditate, aut videri quasi donationem in se factam, et ratam habitam ab eis, relinquere, et fortuna recedere. Manentes itaque curiales, relictam aut donatam (sicuti dudum a nobis dictum est) habebunt mensuram. — § 1. Si vero ab initio refutaverint oblationem, manere liberi præponentes, licet naturales quam fieri ditiores et curiales: deinde videantur postea aut in totum, aut ex parte possidere res donatas, aut relictas sibi, aut etiam alienare: tenebuntur omnino, curiali fortuna etiam invitati non adulterari nobis videantur legislationem et lucra quidem venentur, quæ occasione oblationis sint: repellant autem fortunam propter quam lucra promeruerunt. Et hoc similiter sancimus et in masculis oblati curiæ, et in filiabus nubentibus curialibus: nulla existente differentia sive per masculos quispiam curiæ munera agat, sive per generos curiam in filiabus augere voluerit, et per illorum filios novos adicere prioribus curialibus filios eorum.

CAP. IV.

Filium vero per hujusmodi causam factum legitimum, ipsi soli genitorum legitimum facimus, non etiam extraneæ cognationi patris, (dicimus autem et ex quibus ille natus est, et qui ex utroque sunt, et qui ex eo processerunt) facimus eum velut ex quadam machinatione cognatum. Sancimus enim oblatum curiæ naturalem filium solummodo patri legitimum fieri successorem, nullum tamen habere participium ad ascendentes, aut descendentes, aut ex latere agnatos vel cognatos patris: ut illos aliquod habere participium ad illorum successiones: æquum etiam ei dantes privilegium, ut sicut nec cognatis patris sit iste successor, sic nec illi ad ejus vocentur successione, nisi forte scripserit aut ipse illos, aut ab illis scribatur, soli enim patri fiunt legitimi, et cognati esse creduntur.

CAP. V.

Ergo sancendum est qui factis ita legitimis efficiantur successores. Et si quidem habuerit filios qui talis est, aut nepotes de legitimis sibi procreatos uxoris et merito etiam curiales constitutos: modis omnibus ei

12. d. L. 4. — 13. L. 9, § 2 ult. C. d. t. — 14. Fac. L. 4, § 2, D. de censib. — 15. § 1, vers. proinde, supr. § 3, in fin. infr. hic. — 16. L. 3, vers. sed et ff. C. de natural. liber. — 17. L. 6, in fin. C. d. t. — 18. d. L. 9, in pr.